

nos saltem singulos. Quod non modo rerum gestarum ratio suadet, sed & usitatissimus ille tam in Oriente mos quam in Occidente, tum claudendi maris, tum aperiendi. Nam quin maritimæ fuerint illæ expeditiones, nullus dubito. Claudebatur autem mare ab Autumno ad tempus vernum. Verno aperiébatur. De Romanorum in hac re more, Vegetius, alii passim testes. De Græcorum, Hesiodus, Theophrastus. De Orientalium autem ipsorumque Syriæ Regum, testimonium in sacris literis perhibetur 2 Samuelis cap. 11. 1. & 1 Paralipomenon cap. 21. 1. "Factum autem est vertente anno eo tempore quo solent Reges ad bella procedere Quod ad mare etiam classibus aperiendum spectat. Neque aliam præter vernam tempestatem ibi denotari vult Rabbi Chimchi, quem merito sequitur etiam magnus Scaliger in prolegomenis ad Canones. In Ebræo tempus illud vocatur זמן המלחמה *tempus expeditionis* seu *profektionis regum*. Hellenisticis *ὁ καιρὸς τῆς ἐξοδίας τῶν βασιλείων*. Vere igitur anni 2. Olympiadis CXXXIII. seu primi Seleuci, Ptolemæus in fororis auxilium cum classe advolavit. Vere anni 3. Olympiadis ejusdem adversus rebelles civitates Seleucus classem comparat. Adeo enim accisæ erant res ejus bello Ptolemaico, ut citius classem illam comparasse non sit credibile. Eadem anni 4. tempestate, instauratis post naufragium, quod misere passus est in expeditione adversus civitates, viribus, bellum in Ptolemæum iufeliciter redintegrat. Atque ita necesse est ut Fœdus Anthesferione seu Lenæone, sub Februario scilicet post hæc clades proximo, initum cadat in annum 1 Olympiadis CXXXIV. Qui ita erit Seleuci quartus. Quod si regnare cœpit ille sub finem anni 2. Olympiadis CXXXIII. simili ratiocinio, Olympiadis CXXXIV Secundo, seu *periodi Iulianæ* MMMMCCCCLXXI. qui ante vulgarem Christi Epocham est annus CCXLIII. tribui possit. Et diserte, hoc forsân calculi genere ductus, Sethus Calvisius utriusque Regis res gestas ita distribuit, ut ultimam Seleuci cladem quæ Fœdus, uti nostra sententia est, proxime antecessit, quarto ejus anno collocet. Annus autem Olympiadis CXXXIV. primus seu quartus Seleuci, est Calippicæ periodi secundæ 11. adeoque secundus duodecimus. Si igitur periodus illa etiam Smyrnæis in usu fuerit, etiam anthesferionis seu Lenæonis initium & finis, in Mensibus Julianis ad (quod satis est credibile) varias Chronologorum rationes, maxime Scaligerianas, & Petavianas, quorum laterculos consulas, facile reperiri possunt.

*Ἐξετασταί*. Quæsitores hi erant ad quos rerum repetundarum, interversæ pecuniæ publicæ, atque aliorum quæ in administratione publica committuntur, criminum iudicium spectabat. Aliis *Δογματαί*, *ἔυδουνοί*, *συνήγοροι*, dicti. Ita Aristocles Politicorum tertio cap. 8.

*Ὅσοι ἂν ὄσαν ἐλευθεροί περὶ Ἑλλήνας*. De civitatis donatione Attica, quæ Ionicæ, seu Smyrnensi, forsân non ita dispar erat, consule I. Meursium de Fortuna Attica, capite 5.

*Ἐπὶ τῷ Μητρῷν ἱερῶς νεοθύτοις*. Fanum Magnæ Matris seu Metroum in planitie urbis (nam pars etiam montana erat) memorat Strabo lib. 14. super *ἱερῶ νεόθυτοις*, quæ etiam *ἔμπυρα* dicta, seu ardentes victimas, & *ἐπὶ πομίων* seu animalium immolatorum profecta, aris etiam aliisve sacris sive tactis sive inspectis, solenne gentibus erat jurare, uti Christianis super sacrosancta Evangelia, Cruces, Reliquias sacras. Etiam *Ἐμπύρια* inde *ὄρκου*, *δημόσιου* est apud Hefychium. Et Alcidas *ὄμοσε τὸν Ἀπόλλωνα τὸ δάφνης ἀψάδου*, *juravit per Apollinem, tacta lauro*, quod habetur ex Nicandro apud Antonium Liberalem in Metamorphosi prima. De variis jurandi ritibus, consulendi Brissónius in Formulæ, Gulielmus Barclaius ad tit. de Jurejurando ff. Thomas Dempsterus & Baptista Hansenus libris de Juramento, præter Petrum Fabrum in Commentario de Magistratibus Romanis, Danielem Heinsium ad primum Sillii Italici, & Fredericum Lindebrogium in Glossario, verbo *Jurare*. Adde porro Philippum Mauffacum ad Harpocratonem pagina 243. ubi de juramento in

Agrauli